FRANC. ERN.

BRUCKMANNI, MED.

DOCT. ACAD.

CÆSAR. NAT. CUR.

ET SOC. REG...

Digitized by Google

FRANC. ERNESTI BRVCKMANNI, D.

EPISTOLA ITINERARIA LXVIII.

SISTENS

MEMORABILIA NEOBVRGICA

ET

PANEM FVSTIBVS VERBERANDVM,

AD

VIRVM REVERENDA DIGNITATE PERQVAM VENERABILEM DOMINVM,

DOMINVM CONRADVM IKEN,

S. S. THEOL. DOCTOREM INCLYTVM,
EJVSDEMQVE FACVLTATIS IN ILLVSTRI BREMENSIVM LYCEO PROF. PVBL. ORDINAR.
PRVDENTISSIMVM,

NEC NON

AD ÆDEM ST. STEPHANI,
PASTOR. PRIMARIVM SVMME MERITVM.

AMICVM OBSEQVII, OBSERVANTIÆ, AMORISQVE CVLTV NVNQVAM NON PROSEQVENDVM.

CVM FIG. ÆNEIS.

WOLFFENB. MDCCXXXVIII.

Digitized by Google

VIR
SVMME VENERABILIS
ATQVE DOCTISSIME,
FAVTOR NVLLO NON HONORIS ET AMORIS CVLTV PROSEQVENDE!

Recreationis ergo, *Vir ſumme Reverende*, Anno 1723. Menſe Novembr. Neoburgum, Archiducalis Auſtriæ monaſterium & civitatem, parvam feci excurſionem, in hoc itinere pagum **Heiligenſtadt** dictum, ſemi-milliari Vienna obvium, primum pertranſivi, ad manum dextram in via publica ſtatim ante viculum conchæ bivalves, læves & oblongæ, a ſucco gorgonico in terræ viſceribus petrifactæ, coloris brunni, copioſe reperiebantur, inque ſtratis arenariis nec non lapideis, digitum craſſitie vix excedentibus, obſervabantur. Porro in itinere monaſterium Carthuſianorum, qui ex pecu-

peculiari religionis voto carnem omnem plane averſantur nec unquam iſtam deguſtant, in monte prælto $\frac{1}{2}$ mill. a prænominato pago ſitum, ſalutavimus. In collibus viniferis hujus montis, monaſterium verſus, conchitæ albi juxta ac corallia marina, nunc lapidea foſſilia, ex ſaxis & terra imbre ac tempeſtate pluviosa in apricum eluta, hinc inde colligenda. Unico parvo adhuc ſuperato, & ſic duobus Vienna, milliari, monaſterium Neoburgicum, **Cloſter-Neuburg**, cum oppidulo adjacente ejusdem nominis, **Stadtgen Neuburg**, haud ſpatioſo, proxime ad Danubii ripas & montem Calenberg, ex eo apud hiſtoricos notiſſimum, quod anno 1683. *Joh. Georgius III. Elector Saxon.* ſtrenuiſſimus & glorioſiſſimus heros, ad iſtum cum ſuis militibus ſubſidiariis animoſis appropinquans, feliciſſime cum victoria Turcarum cladem fecerat, exſtructum ingreſſi ſumus. Collegium ordinis Benedictinorum, Canonicorum regularium, hic cum ſuo Prælato reſidet. Templum Clauſtro-Neoburgicum admodum pulchrum eſt, ornatiſſimum, egregiisque & firmis ex marmore optimo lævigatiſſimo ac variegato fabrefactis ſuſtentatur columnis. In jam laudato templo Sancti Leopoldi, Marchionis olim Auſtriaci, nunc totius nationis Auſtriacæ Patroni, corpus & caput, quod ultimum plebi ad oſculandum præbetur, monſtratur. Hoc antiquiſſimum & celebratiſſimum monaſterium cum Canonicorum collegio Divus Leopoldus & uxor Agnes, Imperatoris Heinrici IV. filia, Anno 1114. fundavit & ædificavit; annoſæ olim arbores hunc locum opacabant, cum D. Leopoldo, ejusque thori conſorte Agnete Cetienſis arcis feneſtris innixis, ac de ſitu ad excitandam Deiparæ ædem idonco ſollicite deliberantibus, hujus flammeolum ſeu velum levis aura ex capite ſurripiens, procul ab oculis in ſubje-

ctum nemus devexit, quod, cum venationis ergo St. Marchio poſt novennium luſtraret, deperditum olim ſlammeolum illæſum adhuc, extenſumque pendere ex ſambuco oſtendit. Hoc ille pro divino nutu præmeditatæ tunc ædis locum indicante interpretatus, auguſtum illico templum cœlorum Reginæ dicandum anno 1114. ibi erigi juſſit. Templi mole ad coronidem ducta, dotem munificus fundator privilegio ſanxit, & canonicos, quos ſeculares vocant, ſacris præeſſe voluit, quibus ſegnius adminiſtrantibus, Religioſos D. Auguſtini aſſeclas anno 1134. coram Conrado Salisburgenſi, Regimaro Paſſavienſi, & Romano Gurzenſi Antiſtite ſubrogavit. Anno 1484. Leopoldi apotheoſis a Pontifice Innocentio VIII. fuit obtenta. Hinc ſacrum ejus corpus ex humili ejusdem templi crypta, cui poſt obitum fuerat commiſſum anno 1506. Maximiliano I. Imperatore id curante, in magna Præſulum, ac Principum frequentia fuit elatum, & pretioſa modo incluſum theca peculiaris ſacelli aræ, crebro venerantium affluxui expoſitum, incumbit. Ipſum quoque ſlammeolum, & ſambucus, illuſtres prodigioſæ originis theſſeræ, noſtro adhuc tempore cuſtoditæ adventantibus exhibentur, uti & archiducalis Auſtriæ pileus, multo auro & gemmis renitens, quo Archiduces in D. Stephani Baſilica Viennæ inaugurantur, venerabilis hujus collegii fidei demandatus. Conf. Joh. Baſil. Küchelbeckeri, I. V. D. **allerneueſte Nachricht vom Röm. Käyſ. Hofe** ꝛc. item cujusdam Soc. JEſu Sacerdotis Germania Auſtriaca ſeu topographia omnium Germaniæ provinciarum &c. fol. Viennæ 1. or. pag. 25. Sub icone, quam Viennæ accepimus, laudati Marchionis ſequentia legenda:

Fig.

„ Conſidera, o homo! unde nomen ſumpſeris, ab „ humo utique, quæ nihil cuiquam eripit, ſed omnia „ largitur omnibus, & diverſos in uſum omnium animantium

„ tium fructus miniſtrat. Inde appellata humanitas, „ ſpecialis & domeſtica virtus hominis, quæ conſortem „ adjuvet. Ambr. de offic. L. 3. c. 3.

„ LIBERALITAS. „ PRO PRINCIPIBVS.

„ *Leopoldus*, Innocentii Romani Pontificis oraculo, „ peculiaris St. Petri filius, Auſtriæ Marchio fuit, Pii „ cognomento, non vana aſſentatione, ſed merito vir- „ tutis dignus. Quantumvis inter aulæ ſplendores a „ prima pueritia regie educatus, cum parente demortuo „ ipſe Ditionum poſſeſſionem adiiſſet, modeſtia tamen „ inter opes, & in omnium rerum libertate, inſignis ejus „ effulſit temperantia. Rexit ſuos jam tum, Auſtriacæ „ ſtirpi innata, & virtute exculta probitate & humanitate. „ Conſortem thori Agnetem, Cæſaris filiam duxit, felici „ connubio, cum pares virtute in divinorum veneratio- „ nem, ſubjectorumque bonum, & præcipue in paupe- „ res largitate conſpirarent. Fundatores hi ſunt præclari „ monaſterii, atque etiam urbis *Claudrvii* prope Vien- „ nam, ubi Agnetis velum, a capite avolans, novem „ poſt annos inter ſepes repertum integrum, locum ſcil. „ ſignavit, quo dudum deſtinatum B. V. Templum a „ Leopoldo ædificarunt. Tam ſanctam Principis vitam „ poſt mortem, ſolita ſanctitatis Echo, confirmavere „ miracula. FEUCHTIUS.

Maximum optimo in vicinis circumcirca montibus a ſole in nobili vitium ligno cocto vino repletum vas,

fascíis ferreis fortioribus numero 48. munitum, in hujus monasterii cella vinaria videndum, ascenditur per scalas, continere dicitur 1300. vini urnas. Pro honorario, quod vulgo **Trinckgele** vocatur, probæ loco vinum peregrinantibus degustandum porrigitur. Quidam oppiduli civis, quocum sermonem habuimus, doliium non recte & accurate ad stereometriæ regulas examinatum putabat, saltim non plures, quam 700. urnas contineret. De maximis & giganteis Europæ doliis vinariis, nempe Heidelbergensi, Græningensi & reliquis, conf. Happelii Relat. Curios. Part. II. pag. 194. Part. IV. pag. 637. &c, nec non Misson Itinerar. pag. 74. cum fig.

Panis laudati monasterii **Prügel-Brod** quidem vocatur, interim admodum sapidus est, & bene in clibano coquitur. Relationem de hoc *Tecum, Vir plurimum Reverende*, ex commemoratione nobis facta sequentem communicamus: Quotidie panis, albus unus, & alter, respective prioris magis nigricans, **weiß** & **schwarz**, dictus, ex farina bonæ notæ cum aqua lege artis pistoriæ pinsitur, **Prügel-Brod** hinc denominatus, quod, cum ex furno extractus sit, tamdiu fustibus ligneis, quamdiu omnis superior crusta delapsa, quæ certis canibus, qui adhuc in una propaginis serie ex familia canum St. Leopoldi orti, comedenda & deglutienda porrigitur, verberatur & male mulctatur. Hi panes absque crusta, licet optimi saporis, saltim quod non admodum delicati videntur, cum crusta fustigatione detracta sit, vilissimis nummis venduntur. Hic verberationis actus quotidie, ut vulgo perhibent, exercendus, alias nigra spectrorum caterva splendida monasterii ædificia statim de nocte ruinis cumularet ac canonicorum conventum, qui interdum etiam laudatos comedere solet panes, umbris terrificis & imaginibus atris perturba-

turbatione lethali officeret. Historiam de pane virgis, quibus alias ad saltandum & currendum equi stimulantur, ex nequitia scelerata a thrasonibus cæso & sanguinem ex se pluente lege in Behrends Hercynia curiosa pag. 85. & relationem huic parallelam evolve in sic dictis **Breßl. Kunst- und Natur-Geschichten** VI. Versuch pag. 1981. Sac. Cæs. & Cathol. Majest. Imperat. *Carolus VI.* cum thori socia perdigna hæc canonicorum claustra sæpissime frequentat & sacra ibidem in templo devote audit. Reditus hujus collegii tanti & tam magni prædicantur, ut ex vase quodam per integrum annum sine intermissione vinum stillare & fluere sinere possit, hinc **der rinnende Zapfe** dictum. Suburbium loci Franciscanorum monasterium habet; in coëmeterio sequens lepidum notavimus Epicedium:

Hier lebt Herr Jacob Uebel der ehrliche Mann,
Dann der fromm lebt, nicht sterben kan,
Gut hat er gelebt, und gut gestorben,
Wann gleich den Nahmen Uebel von Vater erworben,
Er liebte was gerecht, so lang er gelebt,
Dahero auch wurde zur innern Raths-Stelle erhebt,
Gestorben ist er den 13. Sept. seines Alters im 68. Jahr,
GOTT wolle ihn führen zu der Englischen Schaar.

ReqVIesCat ItaqVe anIMa eIVs In paCe Del.
(1721.)

Per

)8(

Per pagum Nusdorff & Heligenstadt altero die Viennam regressi sumus. Vale, *Vir Reverendissime*, Numen Opt. Max. *Te* constanter servet, & perge favere

Scrib. Wolffenb.
d. 19. April.
1738.

Tibi deditissimo
Brückmanno, D.

88948252

Ad Ep. CLXVIII

Digitized by Google